vangelio per omnes Eccleſias. Accommoda hîc quæ dixi ſuprà cap. 2. q. 32. n. 233 234. ſed aliqua peculiaria addamus.

256. *Cur D. Lucæ vitulus attribuitur.* Ait Joannes in præſenti; *Secundum animal ſimile vitulo.* Quod animal, ut ſuprà dixi q. 27. & paret ex uſu Eccleſiæ, tribuitur D. Lucæ. Et meritò quidem, quia ipſe incipit ſuum Evangelium à ſacerdotio Zachariæ: *Fuit in diebus Herodis Regis Juda Sacerdos quidam nomine Zacharias.* Et inde narrat ejus progeniem; vicem, ſacrificium, templum: vitulus autem ex multis ad Sacerdotem pertinet, maximè quia erat animal ad ſacrificium dedicatum, ſecundò quia ſicut vitulus vomere terram proſcindit ac fœcundat, ſic & D. Lucas ſicut vitulus ſacro linguæ vomere cordis noſtri arva proſulcat, atque Evangelico ſemine jacto fœcundat ac fertilizat.

Multa pro Chriſto ſuſti- Tertiò, bos, laborum eſt patiens, & aſſiduè in agro heri ad ſegetem & meſſem exercetur, ſic & D. Lucas in ſuo Apoſtolatu (nam eum Apoſtolum appellat Corn. à Lapide, in argumento ad Acta Apoſtolorum) multos labores ærumnas, perſecutiones pro Chriſto ſuſtinuit, uſque ad annum 84. teſte D. Hieron. Unde Eccleſia hoc ei elogium dat; *Qui crucis mortificationem jugiter in ſuo corpore pro tui nominis honore portavit.*

Eccleſia.

257. *H braic. Damian.* Quartò, ubi nos habemus, *ſecundum animal ſimile vitulo,* Hebraïcus legit, *ſimile tauro,* pro quo accipe Cardinalem Petrum Damianum ſerm. 53. *Idcirco, ait, Beatus Lucas vituli prætendit imaginem, quia dum Evangelicam, atque Apoſtolicam deſcribit hiſtoriam, hoſtes Chriſti, atque adverſarios veræ fidei tanquam duobus cornibus ventilat, eò quòd nearcam Catholicæ Eccleſiæ depopulentur expugnatoris cornibus præmunitur, quibus & Judæos feriat non credentes, & hæreticos hinc inde concludat à regula veræ fidei declinantes.* Vitulus, ſeu taurus Tribuitur D. Lucæ, quia ipſe tanquam fortiſſimus taurus, veluti duplici cornu, ſeu robore, codice nempe Evangelico ac Apoſtolico defendit, ac tuetur Eccleſiam, ejuſque adverſarios expugnat ac debellat; codice Evangelico Judæos, Apoſtolico ſeu Actis Apoſtolorum Hæreticos.

D. Lucas duplici brachio tuetur Eccleſiam.

158. Moriturus Moyſes benedicens filiis Iſraël, maximè dilatatur in benedicendo Joſeph, & inter cætera ejus magnalia, ſic ait: *Quaſi primogeniti tauri pulchritudo ejus, cornua Rhinocerotis cornua illius: in ipſis ventilabit gentes uſque ad terminos terræ.* Deut. 33. n. 17. Dicitur Joſeph non tanquam taurus, ſed tanquam primegenitus tauri, qui ut ait Rupertus, habet totum robur & vigorem patris, & dantur ei cornua Rhinocerotis, ſeu unicornii, ut legit Tertullianus: ſed cur inter omnes filios Iſraël, ac omnes illius tribus tanta fortitudo, tantaque virtus tribuitur Joſeph ad hoſtes Iſraël profligandos, eoſque tanquam in ventum diſſipandos, eorumque etiam venenoſas inſidias deſtruendas? Quilibet ex filiis Jacob unam Tribum, unámque multitudinem conſtituit ad pugnandum pro populo. Judas Tribum Juda, Levi Tribum Levi, & ſic de cæteris: At Joſeph duplicem Tribum, Ephraim nempe & Manaſſes, ut ſtatim ipſe textus explicat, & rectè obſervarunt Abulenſis, & Lorinus. *Hæ ſunt multitudines Ephraim, & hæc millia Manaſſe* Hinc maximè inter omnes tribus extollitur Joſeph, quia ſi alii veluti una manu, unâque multitudine pugnabant pro populo, illiuſque adverſarios expugnabant, ipſe

Deut. 33. *Tertul.* *Abulenſ. Lorin.* *D. Lucas fortiſſimè expugnat Eccleſiæ adverſarios.*

tanquam primogenitus tauri, duplici cornu, manu ac multitudine, ſeu Tribu pro populo debellabat, illiuſque hoſtes devaſtabat, eorumque venenoſas machinationes diſſipabat, ex quo etiam noſter Evangeliſta inter cæteros maximè decantatus eſt, quia ſi alii una manu, uno robore ac codice pugnant pro Eccleſia, iſte verò tanquam primogenitus tauri duplici cornu, robore ac codice pro ſancta Eccleſia decertat, ejúſque adverſarios deſtruit, eorúmque venenoſas machinationes extinguit ac perimit.

Vidit Ezechiel capite 1. num 10. illa quatuor myſterioſa animalia ſæpè repetita. Primū habebat faciem hominis, ſecundum leonis, tertium bovis, quartum aquilæ, per quæ ſacros Evangeliſtas intelligi dixi ſuprà ex communi ſententia quæſtione 27. Iterum Propheta repetit, & vidit ſuam viſionem cap. 10. numero 14. *Quatuor autem facies habebat unum: facies una, facies cherub, & facies ſecunda, facies hominis, & in tertio facies leonis, & in quarto, facies aquilæ, ipſum eſt animal, quod videram juxta fluvium Chobar.* Si animal eſt idem, ut Propheta explicat, in utraque apparitione, *ipſum eſt animal, quod videram juxta fluvium Chobar.* Cur tantùm, ut benè advertunt D. Hieronymus, Vatablus, Prado, facies bovis quæ D. Lucam repræſentabat mutata apparet in Cherub? ſi facies hominis, quæ Divū Matthæum exprimit; ſi facies leonis, quæ Divum Marcum, ſi facies aquilæ quæ D. Joannem adumbrat in ſua ſpecie, ac figura remanet, cur etiam facies vituli, quæ Divum Lucam denotabat, non permanet in ſua ſpecie, ſed transformata eſt in Cherub? Reſpicitur ſanè ad illud Cherub, quod Deus expulſis primis parentibus de paradiſo ad cuſtodiendam viam ligni vitæ, id eſt, Eccleſiæ, ut ait D. Iſidor. *Collocavit Cherubim, & flammeum gladium atque verſatilem.* Gen. 2. num. 24. Verſatilem, id eſt, ut multi explicant apud Magiſtrum Joannem de la Haye in concordia verſionum, ancipitem ac duplicis oris: Tale ergo Cherub eſt Divus Lucas, quem Deus conſtituit gladio ancipiti, ſeu duplicis oris, ſeu codicis, ad cuſtodiam & tutamen ſuæ Eccleſiæ, quo maximè eſt munita, ac præmunita contra omnes ſuos adverſarios, tam Judæos, quàm Hæreticos.

259. *Ezech. 1.* *Ezech. 10.* *D. Hieron. Vatabl. Prado.* *D. Iſidor. Gen. 3.* *La Haye.*

160. *D. Lucæ luce ſapientiæ elevatur ad Cherub.* Iterùm redeo ad eandem Ezechielis viſionem, facies bovis, quæ illo myſterioſo animali erat in tertio loco juxta fluvium Chobar, nunc ſolùm transformata apparet in Cherub, & in primo loco ponitur: cùm tamen facies hominis, quæ Matthæum, facies leonis, quæ Marcū, facies aquilæ, quæ Joannem deſignabāt, ut antiquitùs in ſua ſpecie perſeverent, ſolùm tamen facies vituli, quæ ad Divum Lucam ſpectabat, mutatam ſe exhibet in Cherub, & jam non in tertio, ſed in primo loco Quia ita Divus Lucas luce ac ſplendore ſapientiæ, ac doctrinæ ſeſe erexit, & elevavit ut tranſmutatus veluti videatur in Cherub quod plenitudo ſciētiæ explicatur, & ex tertio loco ad primum ſublimatus, & hoc ipſum nomen Lucæ indicat, nam juxta Divum Iſidorum, ac alios ex radice Græca Lucas idem valet, ac *conſurgens*, ſeu *elevans*. Michaël verò Garton juxta Latinum à lucendo nomen accepiſſe, ac proinde quod idem ſit Lucas ac lucidus, Cornelius à Lapide in argumento ad Acta Apoſtolorum, ait quòd juxta Hebræum, Lucas idem eſt ac *Doctor*, ſeu *Magiſter*.

D. Iſidor. *Garton.* *Corn.*

Iterum

261. *Damian.* Iterum redeo ad codicem Evangelicum qui maxima miſericordia ac pietate totus plenus eſt, ut eleganter ponderat Petrus Damianus ſerm. 53. *Hinc*, ait, *Divus Matthæus enarrans regalem Chriſti proſapiam per quadraginta generationes enumerando deſcendit: Lucas vero ſeptuaginta ſeptem cognationum gradus aſcendendo deſcribit. Per quadragenarium quippe numerū labor exprimitur, quo videlicet Chriſtus in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, per diverſa vitæ hujus tempora fatigatur.* Quod ipſe multis comprobat; quia Moyſes, & Elias jejunium per quadraginta dies continuarunt; à quo numero Dominus non abſtinuit, & filii Iſraël per quadraginta annos erraverunt in deſerto, & multis laboribus, & ærumnis attriti ad terram promiſſionis venerunt. At Lucas vices ſacerdotales gerens, à Baptiſmo Chriſti exorſus ejus progeniem narrat aſcendendo per ſeptuaginta ſeptem gradus, *ut indubitanter*, ait, Damianus, *myſterium noſtræ redemptionis exprimatur; ſeptuagenarius quippe numerus, quem Lucas poſuit, remiſſionem ſignificat peccatorum, ſicut ipſe Dominus innuit, cùm Petro quærenti quoties eſſent dimittenda fratri peccata, reſpondit: Dico tibi non tantum ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties.* Matth. 18. num. 22. & Septimo anno indulgentia dabatur terræ, Levitic. 25. n. 4. Matthæus ſcribit regalem progeniem per laborioſum numerum quadragenarium quia multus labor regibus incumbit; Lucas verò cùm ſacerdotales vices teneat, à Baptiſmo per ſeptuaginta ſeptem cognationes, miſericordiæ nempe numerum aſcendit, quia Sacerdotis eſt animas mundas, & multam miſericordiam impendendo ſurſum elevare.

S. Matth. Levit. 15. *Regibus labor Sacerdotibus pietas incumbit.*

262. *Evangelium Lucæ plenum eſt miſericordia. Luc. 7. &c.* Per ſeptuaginta ſeptem cognationes pietatis nempe numerum Lucas enarrando aſcendit, ut myſterium noſtræ redemptionis inſigniter exprimat; hinc ipſe maximè inter omnes Evangeliſtas opera divinæ miſericordiæ erga nos explicat, hinc ipſe Chriſti miſericordiam ac pietatem multùm commendat & magnificat. Hic eſt qui majoribus criminibus gravatos, & afflictos dulci conſolatur eloquio. Hic vires ipſis peccatoribus addit, ne de pietate ac miſericordia divina deſperent, eá mque copioſo ſermone pertractat. Solus hic ſcribit Magdalenæ, & Zachæi converſionem, ubi magna pars divinæ bonitatis relucet. Solus narrat quomodo peccatores, & publicani appropinquabant, ut audirent Jeſum, ubi parabolam centum ovium, & drachmæ apponit. Solus parabolam illam filii prodigi amoris, dulcedine, & ſuavitate plenam ſcribit. Solus iſte refert, quomodo in cruce pendens non oblitus ſuorum crucifixorum pro illis ad Patrem oravit. Deinde hic ſolus meminit quomodo Chriſtus latroni dixit, *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Et hic ſolùm meminit quomodo Chriſtus miſericordia motus dixit viduæ: *Noli flere*, & turbis, *Eſtote miſericordes, & ſicut Pater veſter miſericors eſt.*

Luc. 15. *Luc. 23.*

Et quid mirum, quod Lucas tantùm divinam pietatem ac miſericordiam commendet, cùm ſuum Evangelium ex magna ſui parte, à Matre miſericordiæ Virgine Maria didicerit; nam Sanctus Lucas Virginis Matris fuit Cācellarius ac Secretarius, quod obtinuit noſter Evangeliſta ob ſuam eximiam virginitatem, puritatem ac ſanctitatem: de eo affirmat Divus Hieronymus in Lucam quòd ipſe virgo fuerit, & nunquam uxorem duxerit. Et D. Vincentius Ferrer. ſermone de Sancto Luca, de eo teſtatur quod nunquam mortaliter peccaverit, ſic eum præmunivit divina gratia Et inde habuit intimam familiaritatem ac converſationem ſacratiſſimæ Virginis à qua edoctus de colloquio Virginis ipſius cum Angelo ac ejus ſalutatione, Salvatoriſque conceptione, viſitationéque ad Elizabeth; ſolus hic ſcribit Cantica Novi Teſtamenti, *Magnificat, Benedictus, Nunc dimittis;* Solus hic laudes Annæ ac Simeonis, ipſumque puerum Jeſum inter Doctores inventum, & alia multa ſcribit Divus Lucas, quæ ex ore Virginis Mariæ didicit, ad quod ipſe refert quod ſcribit capite 1. num. 2. *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderant.*

D. Vincent. Ferrer. *Lucas virgo nunquam peccavit.* *Luc. 1.* *Luc. 2.*

264. *Pſal. 103.* *Chaldæus.* Ait Regius Vates Pſalm. 103. n. 3. *Rigans montes de ſuperioribus ſuis,* D. Hieronymus legit; *Rigans montes de cœnaculis ſuis.* Chaldæus: *De domo theſaurorum ipſius.* Multi ex Græco. *Ex ſuperioribus cœnaculis,* ſeu *ſedibus ſuis.* A ſupremo nempe cœnaculo, ac ſede ſuæ divinæ ſapientiæ providentiæ & gratiæ: per hos montes ſic irrigatos intelligens Divus Auguſtinus, & noſter Incognitus, Prophetas, Apoſtolos, Evangeliſtas ac Doctores, qui à ſede divinæ ſapientiæ ac providentiæ mirabiliter illuſtrantur, à quâ communi ſede non ſolùm illuminatus eſt Divus Lucas, ut alii Scriptores Canonici, ſed etiam ab alia peculiari ſede divinæ Majeſtatis, ſacratiſſima nempe Virgine Maria.

Alia lectio. *D. Aug. Incognitus.* *Peculiariter D. Lucas ſuū Evangelium habuit à B. Virgine.*

265. *Apoc. 21. R6.* *Evangelium D. Lucæ à ſede, Dei, & Agni irrigatur Eccleſia.* Ait Joannes Apocalypſ 22. numero primo. *Oſtendit mihi fluvium aquæ vitæ procedentem à ſede Dei, & Agni, & ex utraque parte fluminis lignum vitæ.* Per quod lignum vitæ à multis intelligitur Eccleſia Catholica, per fluvium irrigantem ac fœcundantem ipſum lignum, ipſamque Eccleſiam intelligo Divum Lucam, qui ſuâ doctrinâ, ſuo Evāgelio ac ſcriptis multò eam illuſtravit, quæ emanarunt *à ſede Dei*, à ſua nempe divina ſapientia ac providentia, & *à ſede Agni*, ſacratiſſimâ nempe Virgine Mariâ, quæ noſtrum Evangeliſtam maximè inſtruxit, docuit ac illuminavit in his, quæ ipſa vidit à principio.

Quæstio XXXI.

Elogia Evangelii Divi Ioannis.

266. De hoc magno Apoſtolo jam aliqua dixi, & iterum dicam cùm ſpecialiter de duodecim Apoſtolis fuerit ſermo, ad cap. 21. Nunc verò de ejus Evangelio ac aquila ejus nota aliquid dicendum.

267. *Ezech. 1.* Ait ergo in præſenti Joannes; *Quartum animal ſimile aquilæ volanti* Et hanc aquilam cæteris quatuor animalibus eminere Ezech. apertè teſtatur: *Et facies aquilæ deſuper ipſorum quatuor,* cap. 1. num. 10. Quomodo ergo inter ea ultimum tenet locum, an quia Joannes cæteris Evangeliſtis inferior eſt? Abſit: Humanæ tamen imbecillitatis ordo poſcebat, ut priùs humanitatis Chriſti primordia, curſus, miracula, ac ea quæ in humanitate geſſit, agnoſcerentur, & ſic paulatim ſuis provectionibus mens noſtra adjuta ad divinitatis myſterium agnoſcendū pro

Ioannes conſtitutus eſt à Chriſto vicarius ad explicanda ſuperna myſteria.

movere

moveretur. Inde alta divini conſilii fuit ordinatio, ut cæteri Evangeliſtæ, qui in deſcribenda Salvatoris humanitate verſati ſunt, longè præcederent, tanquam prænuncii ac veluti nutriti pueros lactentes deinde accederet Joannes qui à Chriſto in ſua Eccleſia tanquam vicarius relinquebatur ad ſuperna divinitatis myſteria aperienda, ut grandiora & majora alimenta jam robuſtioribus præberet. Doctè Cardinalis Petrus

Damian.

Damianus ſermone 63. *Propterea Redemptor noſter*, ait, *dilectum ſub ſpeciali prærogativa diſcipulum ad declarandam ſuæ divinitatis eſſentiam, quoddam quaſi organum fecit: atque ut hic ſuppleret, quod ad tempus ipſe Dominus diſpenſativè ſuppreſſerat, ſibimet vicarium dereliquit, quatenùs expleto Paſſionis ac Reſurrectionis, Aſcenſioniſque myſterio, poſt tredecim fere annorum luſtra, cum jam videlicet homines liberiorem ad capeſcendam veritatem haberent mentis obtutum, ſui coëſſentialis, & coæterni Verbi Deo panderet*
268. *ſacramentum, dicens, In principio erat Verbum.*

Secundò, dicitur; *Quartum animal ſimile aquilæ*: Per aquilam intelligitur Ioannes Evangeliſta communiter ut dixi q. 27. Aquila nidificat locis altiſſimis & arduis. Iob. 39. n. 27. *Nunquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſuum?* Vatablus legit: *Moratur in præruptis ſaxis, & loco inacceſſo.* Nonne Ioannes elevatus eſt ad ſublimitatem Deitatis contemplatione & poſuit nidum ſuæ mentis ac conſiderationis in agnitione Trinitatis ac æternæ generationis, quod inter cognoſcibilia omnia eſt difficillimum? Nam ut ait D. Dionyſius Areopagita libro 1. de cæleſti Hierarchia c. 1. quod aquila irreverberatis oculis Solem reſpicit, in ſuæ rotæ circumferentia, ita tamen ut ſui viſus acies non obtundatur, nec claritate luminis diſgregetur; cùm ergo Deus ſit veluti Sol clariſſimus; Ioannes ex gratia veluti aquila ipſum clarè conſpexit. Ut ſentit Franciſcus Maronius ſermone. 1. de S. Ioanne. *Hanc ad modum*, ait, *ſcilicet aquilæ Solem intuentis S. Ioannes vidit Deum per eſſentiam, ita ut oculi ejus ex tanto viſibili excæcati non fuerint, ſicut oculi humani ex aſpectu Solis. Quod autem viderit Deum per eſſentiam, in hac mortali vita illud creditur fuiſſe in ſomno, ſicut Paulus in raptu, quia non apparet in Scriptura major ratio de illo, quàm de iſto.*

Job. 39.
Vatabl.
Ioannes in hac vita contemplatus eſt divinam eſſentiam.
Maronius.

169. Origenes. Pro hac re audiendus eſt Origenes homil. 2. ex variis Evangeliſtis tom. 3. ſic ait. *Non Ioannes erat homo, ſed pluſquam homo, quando & ſe ipſum & omnia, quæ ſunt, ſuperavit, & ineffabili ſapientiæ virtute, puriſſimo mentis acumine ſubvectus in ea, quæ ſuperiora ſunt ſecreta (videlicet unius eſſentiæ in tribus perſonis ingreſſus eſt) Non enim aliter potuit aſcendere in Deum niſi prius fieret Deus.* Ad altiſſima mentis ac intuitus elevatus eſt Ioannes, ut agnoſceret unam eſſentiam in tribus perſonis; & ſubdit: *Non enim aliter potuit aſcendere in Deum, niſi prius fieret Deus.* Cujus rei rationem ipſe magis explicans ait: *Ut enim radius oculorum noſtrorum ſpecies rerum ſenſibilium, coloréſque non prius poteſt ſentire, quàm ſe ſolaribus radiis immiſceat, unúſque cum ipſis, & in ipſis fiat; ita, &c.* Ut ego videam parietem, requiritur quædam ſpecies intentionalis, ipſius parietis, quæ mediante luce imprimatur in meo oculo, ita, ut intentionaliter oculus meus fiat paries; ita etiam ut Ioannes in hac vita agnoſceret ſupremum Triadis myſterium, non ſufficiens erat vis ipſius intellectus, ſed & requirebatur, ut ei notitia eſſet intime unita cum Ioannis intellectu divino lumine illuſtrato, ut agnoſceret. Deum, & ita Deus, & Ioannes ſummè ac intimè erant uniti: *Non enim aliter potuit aſcendere in Deum, niſi prius fieret Deus.*

Ioannes ultra ſpheram humanam aſcendit, ut Deum agnoſceret.

170. Tertiò ait, *Quartum animal ſimile aquilæ volanti.* Nullum Epithetum aliis tribus animalibus tribuit; non enim dicit ſimile leoni rugienti, vel vitulo boanti, vel homini currenti, ſeu intelligenti, ſed ſolùm quartum animal dicit non ſimile tantùm aquilæ, ſed aquilæ volanti; & augetur difficultas, quia unumquodque animal habebat alas ſenas, ut dicitur numero ſeq. & tamen ſolùm de aquila aſſeritur, quod erat ſimile volanti, quia in ſpectāda ſummæ divinitatis eſſentia præcedit Prophetas, ſupergreditur patriarchas, Apoſtolos ſuperat, Evangeliſtas tranſcendit, & poſtremò ſuper totius humanitatis ingenia volat, & illuc uſque mentis aciem tendit, quæ vix Angelica valeat attingere creatura Divus Cæſarius Dialogo 3. Interrogatione 176. ubi aſtruit, quod noſter Ioannes ſuperior ſit omnibus, & etiam Baptiſta, ſic ait; *Ille enim cum multo timore etiam juſtus tangere Chriſti verticem carnem geſtantis non audebat, hic enim plus omnibus libertatis habens in Dominica Cœna in ſinu Domini recumbens; paulo poſt ſuper ipſum ſanctum uniti cum Deo hominis pectus ſeſe reclinat: Non Baptiſta, non Angelus, non Archangelus, neque alius quiſquam incarnati Dei, & Verbi auſus fuit attingere illud formidabile pectus; ſupra quod Ioannes, velut Pater ſuper filium diffuſus recumbit. Inde de Verbo Verbum hauſit, atque omnibus ſub cœlo intonuit illud; In principio erat Verbum.*

Ioannes omnes Apoſtolos, Prophetas, ac Evangeliſtas tranſcendit in Dei cognitione.
Cæſarius.

271. Dices tamen, non eſt ſpeciale privilegium Ioannis volare ad notitiam ac cognitionem Trinitatis ac Divinitatis Chriſti, nam etiam Petrus Chriſti vicarius ac caput Eccleſiæ hæc altiſſima myſteria eſt aſſequutus, confeſſus eſt enim Chriſtum filium Dei vivi, Matth. 16. numero 16. quod à Patre revelante habuit, ut ei dictum eſt à Chriſto: ergo illud non eſt ſpeciale privilegium Ioannis. Dubio occurrit Petrus Damianus ſermone 63. *Planè uterque diſcipulus*, ait *protulit de ſacramēto Dominicæ fidei teſtimonium, quāquam profundiſſimum ſit, atque omninò divinum utrumque pari modo vires humanæ mentis excedat, nec videatur in excellentia dignitate diverſum, quod eodem eſt Spiritu dictante prolatum. Illud tamen Beati Ioannis ſingularitatis locum ſibi vindicare conſpicitur, quia neque ante illum, neque poſt illum hæc idem ſcripſiſſe, aliquis invenitur.* Petrus ore tantùm Chriſti divinitatem confeſſus eſt, at Ioannes non ſolùm ore, ſed etiam ſcriptis tantum myſterium commendavit. Petrus de Chriſti divinitate dedit teſtimonium inter duodecim Apoſtolos, varias hominum ſententias refellens; at Ioannes intonat Chriſti divinitatem in toto mundo, innumeros hæreticorum errores trucidans: Petrus uno tantùm verbo Chriſti divinitatem attigit; at Ioannes magnis, profundis, ac myſterioſis verbis myſterium Trinitatis ac Æternæ generationis explicat, & ſimul declarat conſubſtantialitatem Patris cum Filio, & *Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.*

Matth. 16.
Damian.
Cognoſcere divina myſteria privilegium peculiare Ioannis.
Joan. 1.

271. Si hæc aquila ſublimis Joannes altè evolavit, ut tranſcenderet Spiritus Angelicos; ait Paulus Epheſ. 3. n. 10. *Ut innoteſcat principatibus, & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia* Dei. Sub Principatibus ac poteſtatibus intelligit cæteros Angelorū ordines cum Divo Hieron. Chryſoſt. & Theophylact. ſed quomodo Magnus Doctor Gentiū Paulus tale aſſertum protulit; quod ſpiritus Angelici diſcant per magiſterium Eccleſiæ Dei ſapientiā, quæ multis miris modis relucet. Nonne ipſi Spiritus Angelici ſunt valdè perſpicaces ingenio, ac divino lumine gloriæ illuſtrati, quomodo de cœlo ad terrā, deſcendunt? ut in Eccleſia ſcolam conſtituant, ut diſcant quæ non aprehendebant; *ut innoteſcat Principatibus, & poteſtatibus per Eccleſiam multiformis ſapientia* Dei. Et quis erit iſte Cathedraticus, ac Magiſter, qui juxta Pauli doctrinam cæleſtes magiſtros inſtruat, & doceat? D Chryſoſt. in prolog. ſuper Evang. Joan. *Joannes*, ait, *à Spiritus Sancti profundis, & abditis theſauris omnia proloquitur, quæ neque Angeli priuſquam hîc dicere, noverunt; quod etiā Beatus* Paulus *his verbis ſignificavit, ut innoteſcat* Principatibus, & Poteſtatibus *per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei.* Joannes ex abditis theſauris Spiritus profert, & declarat magna, & alta myſteria, quæ Angeli minimè agnoverunt, niſi poſtquam iſte docuit, & explanavit; poterat Deus multò antea talia myſteria Angelis revelare, ſicut & multa alia eis manifeſtavit, tamen reſervatum eſt Joanni, ut illa aperiret & ſcriberet, ut ita Angeli ex ore agnoſcerent, ut Magiſter Angelorum haberetur tanta dignitate ſublimatus.

Epheſ. 3.
D. Hieron.
D. Chryſ.
Theophyl.
D. Chryſ.
Ioannes magiſter eſt Angelorum.

270. Ezech. 17 Ait Ezechiel 17. n. 3. *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate venit ad Libanum, & tulit medullam cedri, ſummitatē frondiū ejus avulſit, & tranſportavit eam in terram Chanaan.* Richard. de S. Laurentio de laudib. Virgin. hanc aquilam grandem eandem eſſe cum hac, quam Joannes nunc videt volantem, proindéque Joannem Evangeliſtam denotare autumat. Nam D. Joannes aquila grādis eſt virtute, ſapientia, authoritate, amore, ac benevolentia erga omnes: *Magnarum alarum*: Valde magnæ fuerunt alæ hujus ſublimis aquilæ, Chriſti amor erga eum; unde per antonomaſiam dicebatur; *Diſcipulus, quem diligebat Ieſus.* Amorque virginis, quo eum proſequebatur, veluti Matris in filium; nam Chriſtus in corde Virg. Mariæ amorem maternum infundit erga Joannem ut dixit. 5. in Evang. l. 9 c. 8. q. 5. n. 23. Aliter cit. Rich. à S. Laurentio explicat has alas, unâ enim, ait, commendatur virginitatis puritas, altera intelligentiæ ſublimitas in Joanne, ita ut unâ avulsâ impoſſibilis ſit volatus: non enim datur intelligentia ſine animi puritate & ſic ait ipſe: *Hæ duæ unguntur, quia non ſufficit ſublimitas intellectus, niſi ſubſit munditia affectus: multi enim elevantur per intellectum, ſed deprimuntur per affectum.*

Ioannis excellentiam magna figura explicat.
Non datur intelligentia ſine animi puritate.

Longo membrorum ductu, non corporis, ſed ſublimis mentis intelligentiæ, qui multum Dei gratia erat illuminatus; *Plena plumis, & varietate*: Multorum nempe myſteriorum, & arcanorum Divinitatis cum omni nempe varietate, agit de natura divina Chriſti, *In principio erat Verbum*, & etiam de natura humana; *Et verbum caro factum eſt.* Et hæc aquila grandis *venit ad Libanum*, qui candorem ſignificat, & meritò inde Chriſtum Dominum denotat, qui ab ſponſa *candidus* vocatur. Venit ergo, ad Chriſtum, ut tanquam ejus diſcipulus ſequeretur veſtigia ejus, eique ſe conformaret in virtute ac puritate, quantum fas erat; venit etiam ad Chriſtum quando recumbens ſuper pectus ejus, hauſit aquas ſapientiæ ſalutaris, quæ fluunt impetu de hoc libano. *Et tulit medullam cedri*, id eſt pinguedinem ac dulcedinem cæleſtis arcani, quæ maximè erat occultata in ſacra Scriptura. *Et ſummitatem frondium avulſit*; Et ipſam nempe divinitatem, quæ eſt omnium ſummitas, quæ in Chriſto erat abſcondita veluti ſub frondibus ac foliis humanitatis publicavit ac manifeſtavit in terra Chanaan per omnium nempe Gentilium populos.

Ioannes abditam divinitatem in Chriſto explicat.

Apoc. 4 c. 8. Et quatuor animalia, ſingula eorum habebant alas ſenas, & in circuitu, & intus plena ſunt oculis, & requiem non habebant die, ac nocte dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus, omnipotens. qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt.

VERSIONES.

Arabicus. Et circumquaque, & intus plena erant oculis, &c. Sanctus Dominus Sabaoth, omnia tenens qui nunquam deſiit, & eſt, & veniet.

Arias. Habebant ſingulas alas ſex, &c. dicentia Sanctus, & novies (id repetit) qui erat, & exiſtens, & qui venturus.

Aliqui apud Cornelium ita legunt. In circuitu, & intus plena ſunt oculis.

D Auguſt. Per circuitum & intus plena ſunt oculis.

Primaſius. Intus & foris plena ſunt oculis.

Syrus. Quies non eſt illis die ac nocte, eo quòd dicunt Sanctus, &c. ille omnipotens & qui eſt, & qui venit.

EXPOSITIO VIII.

ET *quatuor animalia*, Explicat magis ſupradicta animalia? *Singula eorum habebant alas ſenas*: fit alluſio ad Seraphinos. Iſai. 6. n. 2. Hiice enim quoad alas ut etiam quoad voces, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, ſimilia erant hæc animalia Joannis; proindéque ut Se- 175.

Iſai. 6.